

52.
O. A. M. D. G.
THESES MEDICÆ INAUGURALES.
DE

**METAPHORA
MEDICA,**

SEU
**TRANSLATIONE
MORBORUM,**

**Von Übertragung und Ueberpflanzung derer
Krankheiten/**

QUAS AUSPICE SUPREMO NUMINE
CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIOVA ELECTORALIHIERANA UNIVERSITATE
PRÆSIDE

**DN. JOANNE FRIDERICO
DE PRE,**

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTA-
NICES ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ
ASSESSORE ORDINARIO & p. t. DECANO, NEC NON CIVITATIS
ERFORDIENSIS SENATORE,
PATRONO, FAUTORE ET PROMOTORE SUO
ÆTERNUM COLENDO,

PRO LICENTIA

**SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNI MORE MA-
JORUM RITE CAPESSENDI.**

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI EXPONET
JOANN. FRIDERICUS MATTHIÆ,

STEINAVIA AD ODERAM SILESII

AD DIEM XVI. MAJI. MDCCXX.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGI MAJORIS HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

THESES MEDICAE INAUGURALES
D. A. M. D. C.

DE
METAPHORA
MEDICA

TRANSITIONE
MORBORUM

von Herrschung und Ueberschlingung der
Krankheiten

QUAE AURIBUS SUPREMO NUMINE
COMMISSAE SUNT IN ACADEMIA MEDICAE
INFRASCRIBTAE SPECTO ALIENAE UNIVERSITATE
PRAESIDE

DR. JOHANN FRIEDERIC

DE P.R.E.

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR, ANATOMIAE, TOTAE
MORBI ET CAUSAE PROMOTIO, PACHITATAE MEDICAE
ASSONORUM ORDINATOR ET CENSURORUM, NON CIVITATIS
ESTADII, SIVE, LORD,
PATRONO, PATRO, ET PROMOTORI SIVE
PATRONO, SIVE, LORD,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
ET FAVOREM, DOCTORIAE SORDEMI MORE MA
ESTADII, SIVE, LORD,
PUBICE PROMOTIONI VENTURAE HONORIS

JOHANN FRIEDERIC MATTHEI

STREITVILANDERLAND, SIVE, LORD,
AN DOMINI 1711, SIVE, LORD,
IN ACADEMIA MEDICAE SPECTO ALIENAE UNIVERSITATE
PRAESIDE





PROËMIUM.



O impatientia dicam an desperationis abeunt quandoque impatientes patientes, ut si ordinatis à Medico medicamentis morbus auscultare nolit, ilicò ad sàgas & magos vulgò zu denen weissen Männern und weissen Frauen refugiant, firmâ spe lactati, fore ut incantatrices venefici & lamiæ contumaces morbos, quos infirmi tulerè diu, ex tempore avertant; sed sæpe larvato magnetismi abusu, vano magnetis popifimo, stolidâ superstitione, & diabolica necromantia suspecti homines simplicioribus nimiumque credulis imponunt. Mortales miseri nequeant si flectere divos, tunc Acheronta movent: su-

A 2

per-

perstitiosi non jam ad delphicum tripodem, ad Quercus dodonææ strepitus & murmura, ad Ammonis oracula, Apollinis cortinas, Sybillæ folia & limina, verbo ad antiquæ superstitionis crepitacula, sed ad vetularum sermone & circulos volant, consilium & auxilium petitori; sed fallit tortis hinc sæpe venefica rhombis, sævaque thessalico carmine fallit anus, impia sub dulci melle venena latent: Hinc in præfenti Disputatione Inaugurali de periculoso transplantationis vel cujuscunque translationis modo acturus sum, quando illa locum habeat, quando rejicienda; avertat DEUS, ne temporali vitâ illicitè productâ homines a malo genio dementati vitam amittant æternam, nobis autem ille, qui percutit & sanat, in curis assistat, ut ordinatis à DEO medicamentis in proximi salutem utamur feliciter.

Metaphora medica est tranlatio morbi de subiecto in subiectum absque ulla superstitionis notâ, ita ut morbus vel ex integro, vel ex parte transferatur & traducatur in aliud subiectum.

Meta-

Metaphora dicitur esse meta non figuram transferre, est diabolus phase, seu transitus morborum, quo morbona migrat, transitque in corpora sana, ut & illa statum morbosum experiantur. Absint figuræ atque characteres; hæc enim praxeos illicitæ sunt nota characteristica, absint figuræ, & murmura desint; hæc desipiunt, quia superstitionem sapiunt: Metaphora nostra ut licita sit & in translatione morborum conscientia non allidat ad lapidem offensionis, debet sine suspectis ceremoniis inchoari, & sine gestulationibus & incantamentis terminari; relinquatur naturæ cursus, agat subiectum naturaliter transmittendo, & patitur alterum in statu naturali præternaturaliter novi quid recipiendo, sic subiectum peregrinum recipiet peregrinas & quidem reales per poros cutis ingressas ideas morbificas, quas subiectum morbosum ex se in illud exhalavit: unum subiectum liberatur odioso hospite, & alterum eo oneratur. Ex corpore animato in inanimatum fit naturalis metaphora quando v. g. defluxiones ophthalmicæ catarrhi erubescunt ulterius inflammare oculos, & in granis succini ex collo pendulis amant latere obscuri, quam splendidam oculorum lucem viscoso glutine obumbrare. Ex corpore animato in animatum laudatur metaphora, si canis Melitenensis sub una lectica nodosis heri sui pedibus accubans iure hæreditario acquirit podagram, fiat fidelis pedissequus, & domini onera portet, item si gemens turtur infantum cunis affideat, & epilepticis vel spasmodicis insultibus infelix corripiatur avis.

Sic iusto titulo fiet translatio morbi.

S. II.

Subiectum Metaphoræ mandans, communicans, transmittens seu a quo est corpus humanum morbosum; subiectum verò recipiens, assumens, cui communicatur seu terminus ad

A 3

quem

*quem est aliud corpus sanum à priori subjecto
specie vel individuo distinctum animatum
vel inanimatum v. g. canis, turtur, succi-
num &c.*

Ita fidele sed miserum animal, canis villosus melitenfis sub tepore lecti hero podagrico accumbens primo insensibiliter & inscie fit subjectum inhaesionis torturae podagricae & eo ipso subjectum denominationis, ut re ipsa canis podagricus dici, distortisque & nodosis pedibus suam miseriam non minus claudicando quam ejulando manifestare possit. Sed quid si posset de subjecto hoc canino in alium migrare canem? hoc non tam facile & cito contingere posse autumo, ob defectum tam arctae conjunctionis & caloris per effluvia communicandi, quam si canis ille foret lupa, ut jure sanguinis dispositionem ad hoc miasma podagricum transferret in suos catulos, in quibus hocce malum radicaliter, inchoative & fundamentaliter ad tempus maturitatis latebit, postmodum evigilabit,

Et documenta dabis, quali sit origine natum.

§. III.

Metaphora differt à metastasi, haec enim manet in eodem individuo, illi verò peregrinum à se separatum quid pro subjecto informationis determinatur.

In metastasi materia peccans de loco in locum unius ejusdemque subjecti transfertur, & sede relicta transit in aliam: & quidem aliquando cum euphoria seu benehabentia levamine partis affecta, si scilicet de loco nobiliori ad ignobiliorum vel robustiorem hæc transmigratio fiat: hoc experimur in apoplexia morbo illo herculeo, ubi materia ex qua cerebrum eclipsa patitur, ab hacce arce mentis, nobili spirituum

um ergastulo, sensuum omnium receptaculo, cerebro scilicet in genus nervosum excutitur unde paralyfis morbus quidem absolute non exiguus, minor tamen respective quia facilius curam admittit, & non tam subito humanam machinam prosternt, quam apoplexia, in qua in ictu oculi clauduntur omnia. Hinc monet Hippocrates lib. 2. de natur. hum. qui morbi ab imbecillibus partibus ad fortiores remeaverint, si soluti sunt faciliores; sic morbus curatur vel tollitur à natura. Item in coactis habet abscessus ad crura in morbis pectoris boni. Item sectio sexta & septima tali metastatico motu sunt plenissima v. g. Aph. 25. sect. sext. erysipelas foris intro verum malum: intus verò foras bonum. It. Aph. 10. ejusd. sect. effusione sanguinis è naribus aut ore vel auribus solet morbus solvi. It. Aph. 11. seq. melancholicis & nephriticis hamorrhoides supervenientes bona sunt. It. Aph. 15. in longa diarrha vomitus ulro ovarius diarrhaam sistit. &c. Salutarem porro metastasin videmus in oculis, si phlegma nobilem hanc orbitam, lucidam oculi pupillam deserat, & in ipsa crura pedesque migret: nam plus ferre queunt ignobiles pedes, quam nobilis machina delicati oculi, hanc laudabilem metastasin in suo itinere non impediat, nec tam salutari & critico motui obstaculum ponat rationalis medicus, potius tales tamque noxias congestiones ad alia loca excretoria deducere pergat, & molimina naturæ laborantis juvare debet, & dirigere motum à natura intentatum; hinc abscessus, parotides, bubones papular, similesque prævii motus naturæ vitales, medici consiliis & auxiliis promovendi præsertim si materia morbosa fuerit ex cunis suis evoluta. Subinde vero accidit metastasis non sine summa corporis humani noxa, ubi de loco comparative ignobiliore ad nobiliorem fit materiæ peccantis depositio, quale infaustum depositum datur in catarrho suffocativo, in morbis corruptis atque retropulsis, ubi miasmata contagiosa, & particulæ malignantis naturæ in febribus petechialibus, variolosis, purpuratis, erysipelaceis & podagricis à peripheria corporis ad centrum vitæ, cordis regiam repelluntur, naturæ crisis invertitur, acrisia inducitur, & mortis materia ad vitæ fontem remittitur. De metastasi in genere &c.

& morborum conversione in coacis prælagia multa leguntur
item de morbis mulierum L. I. n. 45. 46. ita legitur altera pari ad
alteram delegat in corpore, ubi singulis plus quam oportet adfuerit, &
continere non potuerit. Causa metastasis est, quando vel fomen-
tis materia itasin passa disponitur, vel medicamentis resolu-
tur, fibræque motrices irritantur, ut medicatrix natura om-
nia moveat, nervos omnes intendat, ut hoc onus amo-
veat, & ulterius promoveat, aliamque partem hujus mali par-
ticipem faciat, quæ denique assumptam materiam morbosam
extra corporis pomæria pro crisi & naturæ motu excretoriæ
eliminabit.

Ad partes alias bene res morbosa movetur.

s. IV.

*Metaphora differt à transplantatione, quod hæc
minùs, illa latius pateat, hæc solas plan-
tas recipiat pro subjecto transplantationis,
illa præter plantas respiciat animalia, &
alia plura.*

Transplantatio strictè sumpta est ars, per quam naturæ
peritus mediis licitis ex homine morbos tantùm in plantas,
fructes, & arbores transfert, ut sanitas inde sequatur: verbo,
si subjectum recipiens sit planta vel arbor, dicitur transplan-
tatio. Sic ad odontagram seu odontalgiam radicibus tollen-
dam, denudant cortice salicem, frustulum ex trunco salicis
eximunt, eo dolentes dentium gingivas fauciant, & ita fru-
stulum sanguine tanquam mumiali materia imprægnatum in
suum antiquum locum reponunt, ubi cortice rursus obdu-
cto & probè deligato evanescere dolores confirmat experien-
tia. Sic herniam curare conantur per transplantationem,
herniosum nudum sæpius sine certo numero, sine ullis cere-
moniis per bipartitam arborem quercum, v. g. hinc inde tra-
hendo, ita ut per immediatum corporis contactum & efflu-
via



via medullæ arboris communicata successivè evanescat hernia, & eo quidem modo, quo biforcata quercus benè ligata iterum coalescit. Metaphora verò medica non est tam angustis inclusa cancellis, ut plantarum arborumque sepibus tantum circumferibatur, sed plus ultra tendat, cum in alia etiam subiecta præsertim animata transferri possit materia moribola.

Ad varios frutes fit transplantatio morbi.

S. V.

Differt quoque ab incantatione, fascinatione, deligatione, ligatione, hæ enim curam magicam, pactum explicitum vel implicitum involvunt.

Incantatio carmina admurmurat, & rhythmis plerumque superstitiosis cooperationem cacodæmonis implorat: hæc pertinent omnes intoxicationes, obmurmurationes, fascinationes, aliaque præstigiæ, quibus mille artifex mimusque dolosus, draco infernalis per sua mancipia, incantatores & veneficos, sagas & magos, stryges & lamias, similisque furfuris homines variis modis permittente DEO hominem affligit, ut homo homini non jam lupus sed satanas, sed malus tortor fiat. Talem maximè superstitiosam & diabolicam transplantationis seu potius deligationis & ligationis normam exercuit in districtu Palatinatûs saga femina, saga incantatrix hac formâ & methodo medendi. Si quis ægrotum habebat bovem vel malesanum equum, illamque sagacem feminam consultaturus adibat, illico hæc mulomedica inquirebat in nomen animalis, quo rustici alique sua bruta vocare solent; animalis nomine dicto, fostroque soluta rusticus redibat domum, femina sagax vero exhibit in campum, proximeque obvium lappæ fruticem aggressa, eum his ceremoniis additisque rhythmis circumligabat: *Klettenstoc ich binde dich, ich winde dich, und gleichwie ich dich gebunden und*

B

ge

gebunden habe, so will ich den Schrecken, den Bläſ, den Stern, das Lamb, den Oeffen, das Pferd ꝛc. gebunden, gewunden, und seine Kranckheiten abgebunden haben, und zwar in denen dreyen heyligen Nahmen. Quis non clarè videt? Sub tam specioso cortice latere nucleum pacti im vel expliciti: non habet connexionem, nec mumialem materiam animalis affecti, nec in essendo nec in operando talem virtutem à se vel à DEO similis lappa, nec tam sanctis abuti licet; illa pœsis displicet non tam germanica quam diabolica; & merito tam sagax femina postmodum communionem & communitate exclusa fuit.

*Nam malè dispellunt varios mala fascino morbos.
Offendunt superos, vulnera dant anima.*

QVÆSTIO.

Quid de chirurgia transfusoria sentendum? ubi sanguis ex alio subjecto sano emittitur in subjectum morbosum, & ita sanguis transfertur.

Commentum est pœticum, *Medeam* magicarum artium magistram patrem *Asinem* senio jam jam gravem & deopotantum suis veneficiis floridæ ætati restituisse, quando senis jugulum crudelior ense recidit, senisque cruore e ducto eadem sanguine florido ex juvene extracto reimplevit, à quo cani mutavere colorem, rugæque seniles in planitiem diffuse, tremulisque genibus rediit juveniles vigor. Hæc fabula scholastica reviviscit in transfusione sanguinis chirurgica, ut & in sanguinis suctione ex corpore juvenili à *D. Ficino* quibusdam in morbis commendata. Huc etiam trahenda illa sanguinis ingurgitatio, quæ se implet epilepticus, quando capite plexi sanguis poculo exceptus ab illo gulæ infunditur, cursuque adaucto peregrinum sanguinem sibi incorporat. Sicut hæc curæ & transfusiones sanguinæ in principio

(12)

pio applausum tulere in orbe, sic nullo effectu secute
illz evanüere.

S. VI.

*Metaphora Medica denique differt à curis
magneticis realiter & materialiter talibus.*

De virtute magneticâ & magnetis operationibus explicandis tot jam sæculorum eruditi naturæ ruspatores defudârunt, & in hoc mysterio naturæ mystis absconditum, ejusque phænomenorum penetralia inquisiverunt, uti & de abstrusa hujus indaginis causâ scripserunt *Guslielmus Gilbertus Colecestrisensis* ac Medicus Londinensis eximius, *R. P. Vincentius Leboatodus Delphinus Soc. JEsu* in magnetologia sua; *Petrus Gassendus* sublimis ingenii vir & regius in Gallis Mathematicus, & Clarissimus *du Hamel* ambo corpusculatores rem acu se tetigisse putant, quando docent, particulas hamatas & uncinulatas emitti ex magnete, & ex ferro ansatas, in quas hamatæ injiciantur, & ita illas harpagatas una cum ferro ad magnetem properare, corpuscula emanare, se adglutinare, ferrumque quasi in sequelam animare. *Gassendo* se associat *R. P. Nicolaus Cabeus Ferrariensis* & *Soc. JEsu Phil. Magnet.* lib. I. c. 9. multa de hac tam subtili materia scripserunt ex Recentioribus *M. F. André* Medicus in Dissertatione Gallicâ de alcali & acido, & *Waldschmidius* celeberrimus *Marpurgensium Professor*, & *Zwingervus* Decus *Basiliensium*. Sed quo ad effectum medicum experimur, medicamenta ex magnete compacta extrahunt vi mirabili effluviisque suis ex vulnere ferrum, acus, aliaque ex chalybe nata, & talia præstant semper; & semper eodem modo agunt, nisi eradiatio effluviolorum in aëritate suâ impediatur. Emplastra, quæ magnes ingreditur, sunt *Emp. divin.* *Nicol. Empl. nigr.* *Augustan Empl.* *Oppodeidob.* *Mindereri.* *Empl. attractivum Paracelsi.* quæ negativè & positivè vulnera curant, scilicet abstergendo, acidum destruendo, vetetiam siccando, sed & particulas ferreas attrahendo. Sic *Daniel Beckerus Daniscianus Regionontii Profess.* refert in rustico prussiano cultrivoro simili emplastro cultrum eo motum

tum, quo à perito liethotomo *Daniele Schwab* fuit exemptus. *Empl.* refert magni nominis & famæ *Professor Zwingerus*. ℞. lap. magn. opr. ℥j. Rad. aristol. uriusque polyp. visc. quern. ana ℥j. sterc. anserin. ℥iβ. G. ❖ci. Galban. ana vino solut. ℥β. propol. ℥ij. mell. ℥j. M. pro empl. similem curam allegat *Orwaldus Crollius* de cultrivoro pragenfi. *Theophrastus Paracelsus* ita parat egregium empl. ℞. Magnet. ℥j. calc. ovor. ℥vj. sac. s. s. s. in crucibulo, committe igni reverberii per 24 horas (paulatim quartum illius gradum promovendo) & extrahe eritque pprius. *emplastro Oppodeldoch.* mixtus egregie operatur. Vel ℞. magnæcis ita ppti ℥β. Carabe ℥ij M. F. pulv. cum empl. opodel. vel apostolor. ℞β. miscendus. ita *Zwingerus*. Sicut tales curæ magneticæ semper eodem modo agunt, sive ratio talis explicetur per particulas superius qualificatas, sive per principia sympathiæ seu spirituum ex utroque radiantium collisionem, vel mutuam amplexum, non autem effectum suum semper assequitur metaphoricista. et si omnia ad metaphorisandum requisita legitime sint disposita.

*Res facti clara est, sed gravis est ratio,
Cur hos effectus præstet magnetica cura!
Cernimus effectum, causa sed ipsa later.*

S. VII.

Necessaria Metaphora requisita sunt 10. Subjectum infectum 20. res transferenda seu miasmata 21. effluvia ex corpore exhalantia seu seminum 22. morbosa excretio. 30. Subjectum recipiens aptum 23. dispositum,

Sine miasmatis activitate, medio proportionato & legitime applicato ac sine subjecti habitudine impossibilis est metaphora. Quod non est, metaphorisari nequit: proinde ut quid transferatur, illud prius existere oportebit; hic in metaphora medica necessario supponimus statum præternaturam & morbosum in subjecto, quod ut exerat activitatem trans.

translationis præsupponit idoneum subjectum receptivitatis seu subjecti habitudinem, alias frustra agitur, quidquid hic agitur. In vanum defluxio ophthalmica aget in chalybem, aurumque collo appensum, eo quod non sit subjectum aptum, ut hos catarithos suscipiat, sed succinum est aptum diversorium, & naturale hujus materiæ receptaculum, sic subjectum unum præ altero aprius esse, docemur experientia: subjectum cacochymicum in genere citius assumit morbosa miasmata, quædam subjecta promptius recipiunt miasma volatile v. g. febris malignæ, quædam citius fixum & corrosivum ut luis hæz, arthritidis &c. Quid quod si emissa effluvia offendant similia, se iis velociori promptitudine uniunt: simile enim gaudet simili, hinc effluvia v. g. maligna variolosa iis citius junguntur, & eodem malo inficiuntur, in quibus jam tales particule his effluviis similes & prædispositæ ad recipiendum, vel ubi symbolica naturarum convenientia, qualis intercedit inter sanguine junctos in quibus ob symbolicam humorum & spirituum conformitatem promptius effluvia assumuntur, ubi autem contrariæ & repugnantes particule, non tam facilis fit receptio: aliquando etiam miasmata venenosa vel contagiosa resistit sanguis non tantum contrarius, sed spirituosus vel quasi bezoardicus, ut non assumatur, quod alias assumeretur. Secundum illud

Tunc cede malis, sed contra audentior obsta.

§. IIX.

Requiritur 4o. medium illativum transferens, quo mediante virus morbosum ex subjecto in subjectum, idque præcipue sub vaporis seu humoris subtilis specie transfunditur.

Præterquam quod linctus, spuma, saliva media esse possint, vehiculum tamen simul non minus principale hujus translationis aer est, per quem miasma malignum, aliaque subjecta infecturum transfertur. Aer mediū instar est, per

B. 2

hunc

hunc semina ista fluunt ad magnorum etiam itinerum spatia, uti cadaverum maleficus odor milvis affertur per aërem & ventos per multa milliaria; aër omnium fluidorum unicus motor & effervescentiarum diversarum arbiter; aër commune morborum promptuarium est, hinc in aëre diversa morborum semina possunt generari; in aëre omne venenum morbosumque miasma ex defectu, vel quod non differetur, nascitur, vel aliunde communicatur per effluvia, halitus, miasmata, vapores, exhalationes; aër multoties mutatus ex lunæ pressione vel ventorum impetu, vel exhalationibus terrestribus alteratus diversos edit effectus: sic atmosphæra à fræminis novilunii tributum poscit, ab annosioribus in plenilunio. Hoc medio remoto, vel deficiente deficiet translatio; adeoque si per impossibile daretur vacuum, in illo ilico cessaret metaphora: translationis enim propago posita est in morbi communicatione per seminaria. Communio materialis fit per lintea, pannos, per lectum, vestes, crateres, pocula, sputum. Vix sunt pori seu vasorum lymphaticorum & glandularum spiracula, per quæ est evaporatio facta; proinde fit, ut particule affluentes sæpe allidant corpora tantum, sed ob pororum obstructions non permeent. Requiritur insuper proportio justa inter subiectum mandans & recipiens, alias rueret intentata transmissio & reassumptio morbi, sic si subiectum morbo infectum esset hic Erfurti, alterum vero afficiendum foret Lipsiæ, nunquam effectus affectûs metaphorisandi sequeretur ob magnum chaos inter terminum à quo & terminum ad quem.

*Si hæc proportio non est
Inter agens patiensque, nec est translatio morbi.*

S. IX.

*Dantur effluvia quorum actio non in quanto &
pondere sed in quali & mole exigua consistit.*

Supponitur modò in schola medicâ tanquam certum ex
cor-

corporibus effluere corpuscula, quæ ab aëre excepta hinc inde ferantur, manifestum est dari effluvia, & in atmosphæra volitare variis imbuta qualitatibus, eandemque naturam & indolem corporum, ex quibus exiêre, asservare, imo vestibus lapidi baculoque adhærent, & idcirco lapidem à me ejectum præ aliis arripit canis solo odore effluviolorum ex manu lapidi adhuc affixorum, agglutinatorum & inhærentium odore proleptus: maxima halituum copia in statu naturali & præternaturali emittitur per poros cutaneos mediantibus istis effluviis mira ad indagandum sagacitate pollent canes venatici. Effluvia illa varia sunt ignea, aquosa; terrea, sulphurea &c. Si hæc aërem aliaque corpora variè alterent, afficiant, uti experimur, quod tempore Maji dum vites florent, coëant vina & fermentatione excitata turbentur propter effluvia in aëre disseminata; si florent pisa, plus temporis requiritur ad pisa domi coquenda; si floret triticum, puls farinacea non tam promptè patari, & farina in pulvem inspissari potest; si ex fodinis sulphureis, carbonum adustionibus, laterum confectioibus, aliisque similibus officinis & laboratorii effluvia sparguntur hinc inde in aërem, & ad aliquot horas odore percipiuntur, & corporis humores alterantur, cur non possent morbosa effluvia contagiosum miasma aliò transferre, aliaque subjecta malignis & podagricis aliisque affectibus afficere. Variæ exhalantes particule subtiles spiritibus concomitata per aërem dispersæ causa sunt, cur rorismarini odor ad multa miliaria feratur. Effluvia illa corpuscula sunt vix perceptibilia sensu, & tamen pro hoc negotio satis efficacia, & pro aliquo affectu affricando sufficientia; moleculæ sunt mole parvæ, sed effectum magnæ: non hic agitur pondere & quantitate, sed exigua qualitate, magna est energia in exiguis particulis, quam pro majori particularum mobilitate & activitate exercent, ut patet in moscho, ambra, camphora, effluviolorum similium multa myriades à quolibet homine vel animali uno halitu absorbentur; imo effluvia exhalantia postmodum se in corpore infecti multiplicant, aliasque particulas similes & dispositas sibi associatas simul & semel viribus unitis

unitis vires deleterias exerunt, totam œconomiam animalera
turbant, & sæpe funestam ludunt tragœdiam.

Non semper quanto, sed quali noxa patitur.

S. X.

*Causa materialis translationis sunt effluvia con-
tagiosa infectiva, quæ ex corpore affecto
mediante aère seu vectore feruntur in aliud
subjectum insciendum.*

Miasmata intra privatos corporis infecti parietes genita
aliis corporibus per effluvia affricari & communicari posse
nullus dubitat, qui nosocomia & ægrotantium hospitalia sæ-
pe frequentat, mercedisque loco simili labe inficitur benefi-
cio corpusculorum ex corporibus exhalantium tanquam ma-
teriz subtilis sit propagatio morbi: non tantum putredo po-
mi vicinum, contaminat, uva putrida inficit uvam, non tan-
tum carbunculus ad veneni præsentiam quasi anxius sudat,
sed & ovis ovem, agnusque inficit agnum, unde illud: mor-
bida facta pecus totum corrumpit ovile. Coryza vel scabiosus
unius pecoris totum male afficit gregem; detergat faciem
mantile, quo scabiosus est usus, continuo defædabis formam,
fies pustulosus; cohabita variolosis, conversare cum petechi-
zantibus, uno lecto & stragulis tegaris cum lue Venereâ con-
taminaris, ilico variolosus fies, & sanguis eodem squalore de-
turbabitur, ne quid de aliis agam morbis ex se contagiosis, in
quibus vel per contactum immediatum & realem, vel mediatum
& virtualem corpora sana insciuntur, quæ infectio non ha-
beret locum, si effluvia ex corpore morboſo exhalantia aliud-
que subjectum contaminantia, & in eandem labem contrahenti-
a denegarentur. Hoc quidem clarum & indubitatum est,
effluvia posse inficere, alia subjecta male afficere, sed quod
morbum faciant deficere, & illa effluvia unâ cum supellectile
morbosâ emigrent, corpus ita deserant, ut vel planè ex toto
vel magnâ ex parte morbus desinat esse, & aliò translatus in-
choet esse, adeoque illatio unius sit ablatio alterius, hoc ex-
plica-

plicatu perdifficile est, nisi quod huic translationi fortiorem phantasiam, firmiorem imaginationem, absolutam in hoc remedium confidentiam multum contribuere palam constateamur; phantasia & imaginatio vel apprehensio nuda, se infirmum esse, multos actu fecit infirmari, quidni eadem potentia possent in metaphora contribuere ad effluvia tam efficacia felicius absolvenda?

*Effluvium desit, decerant contagia morbi,
In sanum corpus noxa nec ulla fuerit.*

QVÆSTIO.

Quid sentiendum de curis magneticis in
distanti?

Ligimus supra de curis magneticis realiter & materialiter tabulis, inde nova quæstio orta fuit, quid de curis magneticis, v. g. unguento armario, ensi alterive instrumento, à quo læsio facta, applicando, de pulvere sympathetico puri sputoque ejecto, vel emisso sanguini aspergendo, & ita in longum distans agentibus statuendum. Pulvis sympatheticus conficitur ex \odot Rom. depurato mense Julio & Augusto dum \odot in leone est, dum crassiuscule contusum ejusdem radii per dies xv. exponitur quousque calcinetur, aliqui admiscent partes æquales Gum. tragacanthi. Genus hocce medendi in tantam distantiam plerisque sanioribus philosophis, & conscientiosis Medicis suspectum est; non datur actio indistans, quo non possunt propagari per inter medium spatium effluvia effectum illum producentia; effluviis magneticis sua sphaera activitatis limitata est, extra quam parum vel nihil operabuntur; effectus per pulverem sympatheticum vel unguentum armarium non semper vel raro suum fortitur effectum. Magnetismus est quidem actio in distans sed tamen actio naturalis est, & præstat semper eundem effectum, si approximetur patienti approximatione virtutis licet non suppositi. Sententia in contrarium tam
C multa

multa postulata tanquam certa præsupponit, quæ a multis negantur, exceptionem patiuntur, nec adeo, ut venduntur, in foro medico inveniuntur, si ad veritatis tribunal, & iudicii severioris lancem examinentur. Et licet sententiæ illius patroni ad hunc plusquam Gordium difficultatis nodum feliciter solvendum confugiant ad concatenationem effluviarum corporeorum, vel ad animam extra proprium corpus operantem, uti patet in *theatro sympath.* pag. 69. quàm facile illa cohesio, concatenatio effluviarum vel per obstacula impediri vel per contrariam ventorum vehementiam dissiliari potest, multæ illis restant difficultates diluenda. Adduntur quidem testimonia *Kænelm. Digbii Comitis & Cancellarii Regniæ Angliæ, Maxvelli Medici Britannici, Tentzelii, Burgeravii Sylvestri Ratraii*, sed tantorum pace virorum, non sumus autoritate sed ratione; ubi implicat præsentia agentis in passio, implicat effectus, debet esse connexio inter agens & patiens, inter causam & effectum, canon philosophicus est: Si occurrat contactus aliquis corporum vel aliorum entium nunc per ideas, nunc per radios, nunc per atomos & effluvia objectum attingentia, tunc actio in distans non temere neganda est, uti videmus, quod lippiens uno lippiat alter, oscitante uno oscitet & alter, quod vetula solo obruta, quo noxium virus eijcit, oculisque vibrat, fascinet infantem, de quo pariter conqueritur Virgineus Vates Virgilius; nescio quis tenoros oculos mihi fascinet agnos, ut & illud Poëtæ: Cum spectant læsos, oculos, læduntur & ipsi, multaque corporibus transiitione nocent: Ubi memoratus contactus deficit, actio nihil efficit unquam.

§. XI

Causa efficiens est horum effluviarum in corpus insinuatio & assumptio. Conditionalis est debita & legitima approximatio. Meta meta-

metaphoræ seu causa finalis, ut corpus unum vel totaliter vel partialiter illo malo, quod in aliud transfertur, liberetur.

In sympathia rationem quarere, multis obscurum est; hinc quidam sine sympathiæ accusatione solum mechanicè (v. g. quod pori canis aperti sic necessario exhalationes morbosas recipiant) totum hoc negotium explicare conantur. Ab atomis seu effluviis indefinite divisilibus, eorumque indistans incertum indefinitum, vel infinitum operatione causam metaphoræ compingere, multis est fingere, vel saltem difficile captu: sphaera enim activitatis effluviõrum ad certam distantiam determinata est, extra quam non datur receptivitas atomorum ex parte subjecti recipientis; præsertim ubi insignis locorum intercapedo, obviam ruentes impetiosi venti emanantia ex subjectis effluvia hinc inde disjiciunt, & à destinato scopo tamdiu circumagitant, donec illa plane dissipata omnem agendi vim amiserint. Alii ad similitudinem & occultam conspirationem recedunt, hinc ajunt, quod subinde una familia insiciatur miasmate contagioso reliquis intactis propter analogiam temperamentorum seu similis constitutionis, adeoque materiæ vel subjecti singularem convenientiam. Clarissimus *Dn. Kergerus* omnem talis infectionis characterisationem explicat per mumialis fermentationis analogiam, ubi effluvia sanguini se associant, cum particulis suis heterogeneis sanguinem, & humores, præsertim si bene dispositi in majorem fermentationem exagitant. Tota proinde hujus metaphoræ formalitas consistit in communionem seu communicationis actuacione, & unione effluviõrum per vaporosam perspirabilem & transpirabilem corporum transpirationem exhalantium; & ideas peregrinas imprimentium humoribus alterius subjecti, v. g. canis, ligni salicis, radicis bryoniae, connotante tamen plerumque simul spem firmam, certamque fiduciam hanc translationem fore efficacissimam, ita enim spiritus animantur, excitantur & ad obolendum & extinguen-

tinguendum malum cooperantur ; hoc assertum magis etiam roborari & confirmari inde videtur, eò quòd experientia doceat metaphoram medicam in illis non adeo esse felicem, qui de hoc remedio multum dubitant, confidentiam in illud abjiciunt, vel qui necdum maturæ ætatis sunt ob defectum fortioris imaginationis, & immaturæ insufficientisque hunc in actum confidentiæ, quo firmior spes in hanc translationem cæteris paribus, eò certior effectus ejusdem. Quoad approximationem & contactum fit ille vel actualis vel virtualis, uterque applicari & explicari potest. Finis & ultimus scopus metaphoræ, uti est totius medicinæ objectum attributionis, quo omnia diriguntur, quæcunque in re medica aguntur, est sanitas acquirenda seu restituenda in integrum & acquisita retinenda & conservanda,

*Quæ semel amissa dantur medicamina multa,
Quibus quosvis morbos tollere Hygea docet.*

§. XII.

Modus translationis alius est licitus, alius illicitus, superstitiosus & ex schola medicâ vitæque christiana ejiciendus.

Translatio morbi in subjectum alterum fit aliquando dum cominus & proxime se corpora tangunt, & ita per immediatum contactum vel solo halitu inficiuntur, ita acquiruntur scabies, lepra, lues veneris, pestis, febrisque maligna: aliquando extra contactum ex sola approximatione, ut sunt variolæ, febres, morbilli, diraque pestis &c. Sæpe somes & translationis instrumenta sunt vestimenta & tegumenta lanæ, lina, pellicea, omniaque villosa, plumæ, stramina, item canes atque feles, gallinæ & columbæ de domo in domum vagantes, cursitantes, volantes, & ita excepta aliunde feminaria de locis infectis in solis plumis & crinibus transferentes, ipsis quandoque illæsis; adeoque per solas vestes contrectatas ab aliis ut in peste vel per tibialia in podagra: fit tamen hæc translatio ad aliquod distans cominus vel eminus performitem

mitem tamen vel contactum virtualem effluuorum attingibile, ubi vero talis contactus actualis vel potentialis deest ibi sine suspitione pacti aperti vel occulti translatio fieri non potest. Multi dicuntur magnetismi fabulosi, aniles & traditionarii, reprobi, cujus quidem causa datur, non tamen apta, secuta, intra sphaeram, sed altius & sublimius sublesta fidei & quidem malum daemone vel im vel mediate in instrumentis suis authorem habet. Ut fiat propagatio licita morbi per translationem, transfundi aliquid necesse est ex corpore laborante ad alterum, quo illud in societatem trahatur, illud aliquid autem sit quid mobile, fluxile & volatile utpote aptum ad egressum & ingressum: talia sunt liquida, halitiosa, spirituosa, ut per expirationem inspirationem & transpirationem sensibilem & insensibilem facile extrudantur, rursusque attrahantur vel per angustissimos cutis meatus haud difficulter elucentur, seseque vicissim insinuant, non valent hic verba, murmura, nec alia intentionalia, alias omnia aliis mala affricare possemus, haec non sufficiunt, sed realia praesto sint. Tandiu licita est transplantatio & translatio, quamdiu sine pacto explicito vel implicito, sine gesticulationibus & ineptis ceremoniis, sine figuris & numeris sine characteribus & accentibus verbo absque superstitione ex sola naturali illatione vel philosophica combinatione peragitur; secus illicita & detestanda est, ubi superstitiosa est. Et licet subinde homines dementati, his similitatem suam suorumque animalium recuperent: etiam cooperante cacozmone milleartifice pro tunc reconvalescant, multoties tamen observatum fuit, quod quidem hac vice morbo liberati, sed postmodum ex justo DEI judicio graviore malo, & morte saepe inopinata fuerint puniti. Melius & salubrius est, morbos a DEO immisos & quandoque incurabiles patienter tolerare, & Medico prudenti committere, quam cum corporis animaeque detrimento ad sagas & vetulas, viros veneficos vulgo zu denen weissen Frauen und weissen Männern pro auxilio recurrere.

*In verbis, herbis, & saxis est sua virtus,
Aſi abſint ſage murmura, verba magi.*

S. XIII.

*Varii modi, quibus fieri translatio poteſt, addu-
cuntur.*

Uti generaliter loquendo triplici modo contagia ſanguini communicari poſſunt. Prærequirit contagium contiguum contiguitate immediata vel mediata & continuata, idque fit imo per inſpirationem beneficio aëris ſeu per canalem pulmonalem. 2do per œſophagum mediante cibo, 3tio per poros cutaneos: poſſunt enim ſübtiliſſima & activiſſima corpuscula ex aliis emanantia, nos undique circumfluentia per infinita illa corporis noſtri ſpiracula cumprimis exiſtentes in cute glandulas miliares penetrare, iis ſe inſinuare, ſanguinem conſpurcare, ut patet in veſicatoriis, inunctiõibus mercurialibus, lepræ, ſcabiei luisque venereæ propagatione, lecto, mantili, fiſtula clyſterum, præſertim ubi diſpoſitio præcedens rem citius actuat; ita curæ per translationem ad duos generales modos quidam revocant, ita ut una dicatur immediata, quæ abſque quodam tertio ſenſibili velut magnete vel mumia interveniente abſolvitur, qualis fit in ictero, dum quidam cum *Sitono Iatroſoph. Miſcell. tractatu 26. & 27.* ictericum ex ſolo galbulæ ſeu icteri vel rubiæ tinctorum vel ceræ, aut auri &c. ad ſpectu ſanari tradunt. Altera autem mediata nominatur, quæ fit per nudam aliquam applicationem interveniente quodam magnete ſeu mumia, v. g. in eodem ictero urina ægri variè tractatur; modi ex variis authorum obſervationibus illuſtrantur exemplis.

Quidquid non tangit, nullis affectibus angit.

S. XIV.

*Sed juxta Maxwellli mentem ſex modis ſimiles
curæ*

cura absolvuntur : inescatione, inseminatione, impositione, implantatione, irrotatione, approximatione.

Primum fit, quando translatores in ictero parant ex urticis ægri urinâ aspersis & farinâ mixtis placentas à cane, fele vel vulpe vorandas : imo eò temeritatis abeunt, ut ex hac esca salutis & mortis prognosin instituunt, si enim juxta illorum experientiam jusculum ex urina tanquam mumiali materiâ & lacte addito pane similagineo à cane devoreretur, & moriatur ille, ipse simul morietur æger; si ergo canis vivere pergat, & æger ad priorem reconvalescentiâ statum revocabitur : similiter ovum in urina phthificorum coctum obijciunt formicis consumendum ad exulcerationem pulmonum refarciendam : alii in eodem affectu infirmi sanguinem ovo includunt, & postmodum putrefactum sui projiciunt devorandum : Podagrifæ sub hisce magistris panem mansum, caseumve recentem sub axillis gestatum caponi vel cani præbent manducandum : in febre quartana urinam cum farina cogunt in massam, & bene pistam præbent cani maculo, si masculus, lupa, si femella: Verrucis affricant lardum & cani dant comedendum, vel in terram defodiunt, vel clavo lardum affigunt parieti versus meridiem ad consumptionem citius promovendam : Alii cum *Bartholino cent. 3. hist. 66.* sanguinem ex mediana ægri extractum ovi gallinacei testâ artificiose includunt, ovumque gallinæ per 14 dies suppositum exhibent in ictero famelica: imo ad omnem morbum insanabilem ab homine in bestiam traducendum velut panaceam laudibus extollunt, si sanguis hominis ægri adhuc calens ovi testæ inclusus gallinæ ad fovendum suppositus ad putrefactionem usque postea carnibus admixtus, & porco canique famelico exhibeatur: sunt, qui carne suilla in urina recente ægri cocta, canique objecta curant morbos chronicos febresque intermittentes : rationem dat *Maxvellus* quod mumia animalibus ita communicetur vitalisque calor animalium horum, hominis mumiam sibi uniat, & corrigat illam malam qualitatem sibi uniendo

do

do approprians, per quam morbus efficitur, corpore, unde mumiâ sumpta fuit, in integrum sanitati restituito. Secundum fit: quando semina frugum in manu detenta, & mumiâ naturali imprægnata postea committuntur terræ: sic tollitur febris per filiginem in manu usque ad incalescentiam tenendam & demum profeminandam &c. Tertium fit v. g. In hæmorrhagia fructum baculi à iudice supra necis reum sententiam ferente diffracti in manibus teneri iubent; in febribus ungues digitorum pedumque certâ lege abscissos fluvialis cancri dorso alligant, quem rursus & quidem retro in amnem abjiciunt; perficariam aquâ prolutam vulneribus paulisper adhibent, & dein sepeliunt; ad ruborem erysipelaceum amovendum linteolum sanguine talpæ irroratum applicant parti erysipelate obductæ, vel alligant funiculum, quo fabri lignarii ad ligna pro secando vel findendo notanda uti solent: Alii ex *miscell. acad. nat. cur. ann. 6. & 7. observ. 205. cum senn. prax. l. 3. p. 4. c. 11. & Cnöffelio* per nudam applicationem curant icterum, quando tincam per dorsum dissectam applicant umbilico, idem præstare credunt pilosellam herbam calcis ægri impositam. Sic dens defuncti denti affricтус vel appositus facit dolentem excidere dentem; manus mortui verrucis applicita tollit easdem: caput mort. Oli sæcibus alvinis immixtum sedat fluxum dysentericum quod fuit arcanum *D. Cnöffelii*. Quartum fit, si ad ariduram particularem ex parte affecta aliquas sanguinis guttas emissas transplantent in arborem: sic ad icterum curandum icterici urinam cavo sambuci trunco inserunt, eam sic ad ignem exponunt, donec in vaporem abeat & absumatur. Arthritidem transplantant in radicem bryoniæ quam ideo dicunt *die Sicht-Wurk*, *Sicht-Stock*, ubi arthriticus ipse radicem implantare tenetur. Quintum irroratione fit, sic icterum *cum Wirdigio de med. spir. l. 2. c. 22. p. 229.* tollunt, si urina ægri cineres imbibantur, iterumque exsiccantur, vel *cum Bogle experiment. phil. part. 2. cap. 11. p. 226.* si ex urina ægri recenti & cineribus fraxini fiant placentæ, illæque sepeliantur, vel *cum Williso* tres pilas æquales ex recenti urina icterica & cineribus fraxinæ

fraxini cribratis formatas in loco clauso prope focum vel hypocaustum collocant & exsiccant, vel ex *actis med. Havn. vol. 2. obs. 108. & vol. 4. observ. 23.* lotium ægri decrecente luna in panno lineo non loto exceptum nocturno aëri exponunt, donec linteum exsiccat, & repetatur donec icterus cesset, vel cum *Paracelso de icteritis c. 3.* urinam ægro super sterco equinum in matula calefactum reddendam, ac fumo per novem dies pro icteri sanatione suspendendam, vel ex *miscell. acad. nat. curios. ann. 3. Observ. 89.* Urinam acervo formicarum superfundunt. Sic herniosi ad pondus herniæ abigendum absorbent ovum gallinaceum die viridium exclusum, testamque repletam urina suspendunt in camino ad exsiccandum, si urina in ovo consumpta est, evanescit hernia. Lac recens in prunas emulctum, uti vaccæ ubera inflammat, ita mulieris ubera facit sterilia, si urina emittitur super ferrum candens ilico sequetur ischuria. Sextum approximatione fit, & est operatio quam frequentissima: sic ad tollendos hæmorrhoidum tumores dorso affigunt fabariam tot nodis, quot tuberculis: si quis pleurisi corripitur, lanionum cultros ægrota- tis potui immergunt, plures ejusmodi curas recenset *H. Petrus Nosolog. harm. diss. 47.* aliique authores adducunt: ad varias has translationis species requirit *Maxvellus* magnetem, tanquam medium connexionis mumiâ hoc est spiritu vitali patientis imprægnatum, qui magnesi variis variè arte paratur ex sputo & sudore, ex sanguine, excrementis & unguum præseminibus, ex menstruo, capillis & pituita mucosa aliisque corporis excrementis.

Ecce modus cura varios, modus optimus unus.

Tollendi morbos, quem medicina docet.

S. XV.

Concluditur, quid de memoratis morborum curis per translationem perficiendis statuen- dum.

D

Hæc

Hæc naturalia quædam, sed plurima ridicula à me adjecta fuerunt, non eo quidem animo, quod singula certa esse dicam, vel pro infallibili veritate venditare velim; scio enim, quod multæ similes curæ à vulgo trahantur in usum, abusam dixerim potius, sed hoc memorare volui, quod magnetiæ & translatoriæ curæ sæpe fallaces, sæpius superstitiosæ, sæpissimè pactum implicitum & traditionarium involvant, ita quidem ut tales curas exercentes in actu signato & reflexo ignorent tales curas involvere pactum, sed faciant, quod eos docti docuere parentes, & ad illos per continuò succedentem traditionem propagatum est: harum translationum patronorum promissiones sunt sæpe gigantæ, sed effectus quandoque pygmæus imò nullus. Multa quidem arcana in naturæ sinu profunde recondita delitescunt, quorum veritatem & rationem cum plebs inerudita perscrutari nequit, præter naturam & rationem credit, quæ tamen naturalia sunt: sic arbores melius transplantantur versùs meridiem vel orientem: quando instant pluviz, saxa polita madent: Asseres ex arboribus vento dejectis confecti crepant, & sibilant, dum fiat ille ventus, à quo arbores sunt dejectæ: Turiones sambuci vel folia asari fursum avulsa per superiora purgant, sed si detracta deorsum per inferiora operantur, sic illa imperanti phantasiæ & impressioni auscultent. Sed curæ aliæ superius allegatæ quamplurimæ sunt suspectæ, à christiano homine non facile exercendæ, cum DEUS Optimus Maximus ex tribus regnis suos medicamentorum thesauros liberalissime aperuerit, ut minime necessè sit, ad talia remedia refugere pro qua liberalitate, & concessis in studio medico feliciter absolvendo gratiis sint gratiarum actiones infinitæ, & uti ille studiorum & actionum nostrarum fuit primum principium, ita etiam est ultimus.

F I N I S.

CO-

COROLLARIA.

I.

Febri hectica dum est phtiseos seu exulcerationis pulmonum pedisequa, dicitur hectica phtisica.

II. Non ubi est hectica, etiam est phtisis: datur enim hectica verminosa in infantibus a comedonibus, hectica marasmodica ob vires consumptas in senibus.

III. Hectica scorbutica est curabilis; sublato enim scorbutico tollitur effectus; sed hectica cum tabe incurabilis.

IV. Semiotica pars medicinae est absolute necessaria pro curatione morborum. In hac enim de presenti & futuro infirmi statu judicare debet & potest rationalis medicus.

V. Semiotica fit ex rebus sensibilibus v. g. pulsu, urina, sputo, lingua, oculis & c. it. ex actionibus laesis & c.

VI. Multi morbi sic dicti non sunt morbi, sed conamina tantum naturae, quo noxias heteroclitas, & heterogeneas particulas naturae ex consortio sanguinis & humorum expellere querit, sed sunt morbi, si sinistrè naturae succurrat Medicus.

D. 2.

VII.

VII. *Qui gloriantur, se membra sua Medicamentis, nescio cujus farinae ita impenetrabilia reddere posse, ut nec globis plumbeis, nec gladio trajici possint, vel prestigiis utuntur, vel egregie falluntur.*

IX. *Paralysis unius vel alterius brachij flagellatione ope urticae urentis facta etiam curari posse experientia cum ratione docet.*

IX. *Calculus vesicae certius per lithotomiam quam per lithontripctica curatur.*

X. *Coalescentia ossium fractorum principaliter natura, secundario & indirecte emplastris adscribenda.*

XI. *Num aqua vino salubrior! neutrum potum simpliciter & absolute salubriorem censemus, sed bibentium corpora distinguenda putamus.*

XII. *Optima sanitatis regula est: quae juvant & prosunt, esse servanda, & quae nocent, fugienda.*

XIII. *Senex si haberet oculum juvenis, videret ut juvenis.*

XIV. *Menstrua sanguinis excretio soli sanguinis abundantiae est adscribenda.*

00. A 63.29

ULB Halle

3

002 836 548




sb.

Rehov







O. A. M. D. G.
THESES MEDICÆ INAUGURALES,
DE

METAPHORA MEDICA,

SEU

TRANSLATIONE MORBORUM,

Von Übertragung und Überpflanzung derer
Krankheiten/

QUAS AUSPICE SUPREMO NUMINE
CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIOVA ELECTORALIHIERANA UNIVERSITATE
PRÆSIDE

DN. JOANNE FRIDERICO
DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTA-
NICES ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ
ASSESSORE ORDINARIO & p. t. DECANO, NEC NON CIVITATIS
ERFORDIENSIS SENATORE,
PATRONO, FAUTORE ET PROMOTORE SUO
ÆTERNUM COLENDO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNI MORE MA-
JORUM RITE CAPESSENDI.

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI EXPONET

JOANN. FRIDERICUS MATTHIÆ,

STEINAVIA AD ODERAM SILESII

AD DIEM XVI. MAJ. MDCCXX.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGI MAJORIS HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Academiae Typographi.